



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Nobilibvs Viris Comitibvs, Baronibus, Civibus, & Vniversis per Siciliam
constitutis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

constituit, is extendit palmites ejus usque ad mare, & usque ad terminos terrae ipsius propagines dilatavit, cuius est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi qui habitant in ea. Ipse etiam Romanam Ecclesiam non solum universis fidelibus prætulit, sed super ceteras etiam Ecclesiæ exaltavit, ut ceteræ ab ea non tantum vivendi normam & morum sumerent disciplinam, sed & fidei etiam catholicae documenta reciperent, & ejus servarent humiliter instituta. In Petro enim Apostolorum principe, cui excellentiùs aliis Dominus ligandi & solvendi contulit potestatem, dicens ad eum, *Quocunque ligaveris super terram, erit ligatum & in celis, & quocunque solveris super terram, erit solutum & in celis.* Ecclesia Romana sedes ejus, & seffores ipsius Romani Pontifices successores Petri & Vicarij Iesu Christi, sibi invicem per successivas varietates temporum singulare succedentes, super Ecclesiæ omnibus & cunctis Ecclesiæ Prælatis, immo etiam fidelibus universis, à Domino primatum & magisterium acceperunt; vocatis sic ceteris in partem sollicitudinis, ut apud eos plenitudo resideat potestatis. Non enim in Petro & cum Petro singulare illud privilegium expiravit quod successoribus ejus furoris usque in finem mundi Dominus in ipso concessit, sed præter vitæ sanctitatem, & miraculorum virtutes, par est in omnibus jurisdicitione successorum: quos etsi diversi temporibus, eidem tamen sedi & eadem auctoritate Dominus voluit præsidere. Gaudemus autem quod tu, sicut Princeps catholicus, apostolicæ sedis privilegium recognoscens, venerabilem fratrem nostrum Maguntinum Archiepiscopum, Episcopum Sabinensem, unum ex septem Episcopis qui nobis in Ecclesia Romana collaterales existunt, benignè ac hilariter recepisti, & non solum per eum institutis salutaribus es instrutus, quibus juxta continentiam literarum tuarum totum regnum tuum, licet amplissimum, desideras informari, & universos Armenos ad Ecclesiæ Romanae gremium revocare; sed ad honorem & gloriam apostolicæ sedis, quam constitutam esse novisti super gentes & regna, diadema regni recepisti de manibus ejus, & cum curasti devotè ac humiliter honorare, & nos per ipsum & litteras tuas ad orientalis terræ subsidium in-

vitasti. Ei ergo à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, qui habet corda Principum in manu sua, quas possumus gratias referentes, qui tibi tantæ humilitatis animum inspiravit, rogamus serenitatem regiam & exhortamur in Domino, ac per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus in timore Domini & apostolicæ sedis devotione persistens, ad expugnandam barbariem paganorum & vindicandam injuriam crucifixi tanto potius & efficacius studeas imminere, quanto fraudes & versutias hostium vicinius positus melius cognovisti, non in exercitus multitudine aut virtute, sed de ipsius potius miseratione confidens qui docet manus ad prælium, & digitos movere ad bellum, qui arcus fortium superat, & robore accingit infirmos. Iam enim per Dei gratiam ad commonitionem nostram multi crucis signaculum receperunt, & plures Domino dante recipient, in defensionem orientalis provinciæ opportuno tempore transituri. Iam etiam duo ex fratribus nostris de manibus nostris vivificæ crucis assumpsere vexillum, exercitum Domini præcessuri. Confide igitur, & esto robustus, quia citius forsitan quam creditur, orientalis provincia subsidium sentiet expectatum. Datum Laterani VIII. Kal. Decembris.

*NOBILIBVS VIRIS COMITIBVS,
Baronibus, Civibus, & Universis
per Siciliam constitutis.*

Quod futura sint novissima Mar- Epist. 221.
coualdi, quantum in eo fuerit, Vt Marcoal-
peiora prioribus, quod non solum contra regnum Siciliæ sed universum ferè dum tyrannum
conjuraverit populum Christianum, & Saraceno-
rum focium
quod factus sit contra vos alias Saladi- optimant.
nus, nequitia ejus testimonium perhibet veritati, licet nulla veritas sit in eo. Egressus enim olim homo ille iniquus, vel potius immundus spiritus, Siciliam & totum regnum, cum non inveniret in Marchia requiem, sed obsidione hostium saepius vallaretur, revertar, inquit, in domum, regnum videlicet quod exivi, & assumens secum alios spiritus nequiores, Diopuldum scilicet, fratrem & fautores ipsius, ante tempus rediit vos torquere, ac reliquias transmigrationis & desolationis prioris, immo totius regni excidium innovare. Disposuit siquidem, sicut quondam, diruere muros urbium,

P pp iii

immo redigere civitates in villas , capti-
vare nobiles, torquere ac mutilare po-
tentates, spoliare divites, pauperes flagel-
lare, trucidare coram patribus filios, &
adulterare conjuges ante viros, per vim
violare virgines, & gladio perimere re-
pugnantes. Non credatis hæc nobis, nisi
fueritis talia jam perpetrati, nisi nobiles
vestri, ante quorum faciem terra tremet.
re videbatur, longo macerati exilio, facti
sunt tandem membrorum mutilatione
deformes, nisi quidam viri & mulieres,
immo etiam (quod dolentes dicimus)
sacerdotes in mare præcipitati fuerint,
quidam flammis adusti, multi quoque
liquenti sagamine concremari. Nos au-
tem olim ejus malitiam prævidentes, &
malum vincere volentes in bono, cùm
se universis mandatis nostris exponeret,
ut tentaremus spiritum si esset ex Deo,
sicut sèpe per litteras nostras vobis me-
minimus intimasse, recepto ab eo per
quosdam fratrum nostrorum publicè su-
per crucem & evangelia juramento quòd
super omnibus, pro quibus excommuni-
catus fuerat, mandatis apostolicis sine
contradicione qualibet obediret, feci-
mus eum à vinculo excommunicationis
absolvi, & inter cetera præcipi absolute
ut penitus à balio regni & molestatione
cessaret. quod se scripsit postmodum nec
pro Deo nec pro homine servaturum;
sicut quòd sub prædicta forma juraver-
it, priùs per suas nobis litteras intimaf-
set, quas apud nos in certum infidelitas
ejus indicium in testimonium reser-
vamus. Ceterū nos fraudes ejus &
versutias attendentes, ipsum cum uni-
versis fautoribus suis, nominatim autem
Diopuldo & fratribus ejus, Odone de
Lavian, Wllielmo Crasso, & sequacibus
& fautoribus ejus, excommunicationis
curavimus vinculo innodare, & univer-
sos à juramento fidelitatis, societatis, vel
hominij ei præstiti absolventes, omnem
terram ad quam ipse vel aliquis de prin-
cipalibus fautoribus ejus devenerit, sen-
tentia subjecimus interdicti, & manda-
vimus prædictos omnes per fratres &
coëpiscopos nostros & alios Ecclesia-
rum Prælatos singulis diebus dominicis
& festis excommunicatos publicè nunciari.
Dicitus verò Marcoualdus à simili
sibi quærens auxilium, à pirata prædo, &
raptor à marino non jam latrunculo sed
latrone, Wllielmum Crassum, quem ei
tam pœna quam facinus coëquabat, asci-

Vide supra.
epist. 179.

vit; & quasi non sufficeret ei quòd carif-
simus in Christo filius noster F. Siciliæ
Rex illustris suo fuerat patrimonio spo-
liatus, nisi eum faceret etiam matris pos-
sessione privari, (sicut nobis ex trans-
cripto litterarum quas Phy. mittebar,
innotuit) Siciliam est ingressus, & non
regni, sed Regis etiam, (oblitus benefi-
ciorum patris, qui eum erexit de pulve-
re, & de stercore suscitavit) excidium
meditatur, quasi suis dicens fautoribus:
Hic est heres : venite, occidamus eum, &
habebimus hereditatem ipsius. Si nobis non
creditis, operibus credite. In ipso nam-
que ingressu suo quibuldam Sarracenis
concederatus, eorum sibi contra Regem
& Christianos convocavit auxilium ; &
ut eorum animos ad stragem nostrorum
amplius excitaret, & sitim augerer eor-
um, jam ipsorum fauces Christiano san-
guine cruentavit, & mulieres Christianas
captas per violentiam, eorum expo-
suit voluntati. Quem igitur, ersi non
pueri Regis, Regis Regum causa non
moveat, & non tangat injuria crucifixi?
Quis non insurgat in illum qui contra
omnes insurgit, & inimicis crucis se jun-
git ut fidem crucis evacuer, & factus infi-
deli deterior, infidelibus nititur subju-
gare fideles? Zelum igitur divinæ legis
habentes, cum Phineo festinetis accingi,
ut Iudæum divertentem ad Madianitam,
cum ea uno unius iētu gladij ferat-
is, & regni Siciliæ defendatis honorem,
quem defensuros vos fidei religione fir-
masti. Licet enim Sarraceni, si in fide-
litate prædicti Regis permanerint, diligere ac manuteneret velimus & bonas eis
consuetudines adaugere, sustinere ramen
nec volumus nec debemus ut cum
Marcoualdi regni excidium machinen-
tur. Monemus igitur universitatem ve-
stram & exhortamur in Domino, & in
remissionem vobis injungimus peccato-
rum, quatenus in dictum Marcoualdum
inimicum Dei & Ecclesiæ, perfec-
torem Regis, inde sollemmodo fortiorum
hostem Christianæ religionis unde familiaris
est inimicus, in nomine Domini
exercituum potenter & viriliter assurgatis,
non timentes ante faciem ejus: quoniam
ex quo recessit à Domino, inven-
tient eum multa mala, quoniam & Do-
minus ab ipso recessit, nec derelinquet
ulterius virginem peccatoris super sortem
justorum. Nos enim attendentes perfidi-
am Marcoualdi, qui cùm non potuerit

cum Christianis haec tenus prævalere, cum Sarracenis, ut prælibavimus, nititur opprimere Christianos, universis procedentibus contra eos in hac nequicia perdurantes illam concedimus veniam peccatorum quam in defensionem terræ orientalis transfretantibus indulgemus. Per Siciliam enim subveniri poterit facilis terra sanctæ: quæ si (quod ab sit) in Sarracenorum potentiam deve nireret, nulla de cetero recuperationi Hierosolymitanæ provinciæ fiducia remaneret. Nos autem dilectum filium C. tituli sancti Laurentij in Lucina Presbyterum Cardinalem apostolica sedis Legatum, & venerabiles fratres nostros Neapolitanum & Tarentinum Archiepiscopos in regni subsidium cum copioso exercitu destinamus. Mementote igitur opprobrij totius regni, quod vobis à cunctis gentibus exprobatur, scilicet quod ceterius totum regnum fuerit occupatum quam una soleat civitas occupari. Quid ergo dicetur de servo, cum de domino id dicatur? Eritis enim de cetero, nisi fideliter persistatis & resistatis potenter, opprobrium hominum & abjectio plebis & ludibrium gentium & fabula populo rum. Datum Laterani VIII. Kal. Decembris.

PIPIONI CLERICIO.

Epiſt. 112. **C**um à nobis peritur &c. usque ad verbum affenu, personam tuam cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quam mundanis &c. usque ad verbum suscipimus. Specialiter autem præbendam sancti Georgij de Canacero, sicut eam justè possides & quietè, auctoritate tibi apostolica confirmamus &c. Nulli ergo &c.

In eundem modum pro Azone Subdiacono super Ecclesia sancti Sylvestri de Roncalia.

DE LVCEDIO ET SANCTI
Salvatoria Abbatibus Papiensibus.

Epiſt. 113.
Vt monasterium S. Columbani instau-

Iam saepius nostrum pulsavit audirum quod monasterium sancti Columbani Bobiensis & in spiritualibus usque adeo sit collapsum, & in temporalibus etiam diminutum, quod nisi per auxilium divinæ gratiæ, nostræque solicitudinis interventu, vix speretur ipsius reparatio proventura. Et quoniam instantia nostra quotidiana est secundum Apostolum omnium Ecclesiarum solicitude continua, nec omnes possumus persona-

liter visitare, majoribus occupati, nostras vobis vices in hac parte duximus committendas, concessa vobis plenaria potestate corrigendi tam in capite quam in membris quæ fuerint corrigenda, & puniendo per censuras ecclesiasticas, si qui vobis contumaces extiterint & rebelles. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus ad dictum cœnobium pariter accedentes, super statu ipsius inquiratis plenius veritatem, & Deum habentes præ oculis, sine personarum acceptione quicquid ibidem inveneritis corrigendum, requisito consilio venerabilis fratris nostri Episcopi Bobiensis, nostra freti auctoritate, remoto appellationis obstaculo, corrigatis: cujus electum si minus utilem inveneritis ad regimen abbacie, sine prejudicio tam Episcopi quam etiam monasterij ejus resignatione recepta, talem ibidem pastorem per electionem canonicam instituere procuretis qui & prodesse noverit & præesse; attenius provisuri ut mandatum apostolicum taliter exequamini quod solicitudo vestra debeat in Domino commendari. Datum Laterani.

BOBIENSI EPISCOPO.

Acedens ad apostolicam sedem dilectus filius electus sancti Columbani Bobiensis de te in auditorio nostro graviter est conquestus, quod cum monasterium sibi commissum à tempore beati Gregorij ad Romanam Ecclesiam usque ad moderna tempora pleno jure spectaverit, tu occasione cuiusdam sententiae à felicis recordationis Eugenio Papa prædecessore nostro contra monasterium ipsum per Abbatis illius temporis imperitiam vel fraudem forsitan promulgatae, quam bona memoria L. Papa successor ipsius postea confirmavit, Bobiensi Ecclesie abbatiam ipsam niteris subjugare: de cuius possessionibus & redditibus cum episcopium & canonica dicta sint pariter & dotata, non videbatur consonum rationi ut cum iactura temporalium rerum, libertatis etiam sua dispendium pateretur, & cœnobium, quod prius ad Romanam Ecclesiam nullo pertinuerat mediante, postquam ibi factus fuit Episcopus multitudine fidelium excrescente, subjectum fieret Ecclesie Bobiensi. Post hanc autem divisionem monasterium idem, sicut prius

Epiſt. 124.
De libertate
monasterij S.
Columbani.

Vide To. IV.
Ital. fac. pag.
1396.